  

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus Officium, quod inscrutabilis
divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humili-
tati nostræ, meritis licet imparibus, committere di-
gnata est, salubriter exequi jugi vigilantia satagentes
in eam præcipuè curam, sollicitis studiis incumbimus,
ut Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religio-
nis jugo mancipati, sublatis iis, quæ Regulari eorum
Observantiæ, atque disciplinæ detrimentum afferre
noscuntur, juxta Regularia eorum instituta prosperè
dirigantur, illisque firmiter insistentes, multipliciter
in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis. Exponi siquidem
Nobis nuper fecit Dilectus Filius Raphael à Lugagnano Minister Generalis
Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum,
quod dudùm San Mem. Pius Papa V. per quasdam incipien. *Pastoralis Of-*
ficii xxviij. Maji MDLXXI., ac Rec. Mem. Gregorius PP. XIII. incipien. *Con-*
suevit xxix. Aprilis MDLXXIX., Paulus PP. V. xviii. Octobris MDCXIX.,
& Urbanus PP. VIII. Prædecessores nostri incipien. *Admonemur* xxix. Junii
respectivè diebus MDCXXXIX. suas respectivè expeditas Literas, Constitu-
tionibus ejusdem Ordinis auctoritate Apostolica confirmatis inhærentes
statuerunt, mandarunt; ac præscripserunt, & inhibuerunt, ne Fratres dicti
Ordinis ad Sæculares, vel alias Personas extra eundem Ordinem constitu-
tas, sive pro obtinenda commissorum criminum debitæ eis pœnę remissione,
sive pro assequendis in præfato Ordine gradibus, vel cujuscumque generis
gratiis recurrere auderent, sub nonnullis præscriptis, & præsertim excom-
municationis ipso facto incurren., incarcerationis, ac perpetuæ inhabili-
tationis ad Officia pœnis; Ac insuper memorati Paulus, & Urbanus Præde-
cessores in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub eadem excommunicationis

pœna

pęna prçceperunt itidem,& mandarunt supradicti OrdinisSuperioribus pro tempore existentibus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum tàm Ecclesiasticarum,quàm Laicarum cujuscumque qualitatis, extra dictum Ordinem constitutarum, cuivis ejusmodi Ordinis Religioso ullam gratiam concedere, aut pœnam remittere præsumpsissent, & aliàs prout in supradictis eorumdem Pii, Gregorii, Pauli, & Urbani Prædecessorum literis,quarum tenores prçsentibus pro expressis haberi volumus,uberiùs dicitur contineri. Præterea, quod per alias sæpedicti Ordinis Constitutiones pluries renovatas, & confirmatas cautum, præscriptumque reperitur sub pœna privationis suffragiorum per triennium, & Carceris per bimestre,ne Fratres ipsius Ordinis quemcumque recursum,vel appellationem aliquam peragant nisi gradatim, nempè de Guardiano ad Ministrum Provincialem, de Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ (si de negotio agatur dicti Commissarii Familiam concernente) de Provinciali, seù Commissario prædictis ad Ministrum Generalem, ac tandem ad S.R.E.Cardinalium Congregationes, vel ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Raphael Minister Generalis, qui (ut asserit) præmissis non obstantibus, ac quodam particularis tunc existentium S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationis à Fel. Rec. Sixto PP. V. pariter Prædecessore Nostro deputatæ Anno MDLXXXVII. edito decreto tenoris sequentis, videlicet--*Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum Criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia gravamina causati, non ad immediatè sui Ordinis Superiores, scilicet, à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cujusque Religionis Constitutiones disponunt, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt potius, quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores evadunt. Placuit. Sacræ Regularium Congregationi ex Ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium inposterùm temerè, levive ex Causa Almam Urbem, seù Curiam absque Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores, severiorique pœna plectendus mittatur* -- compertum habet, quod nonnulli dicti sui Ordinis Alumni, Constitutionum præfatarum immemores, illasve exoletas,& antiquatas esse credentes,tùm favores personarum extrà præfatum Ordinem constitutarum pro obtinendis gratiis, pœnisve fugiendis sibi procurare, tùm non servata forma pro recursibus, & appellationibus, sicut præmittitur,præscripta, ad Superiores mediatos,sive Prælatos majores Ordinis prædicti, ac etiam ad eamdem Sedem recurrere, & appellare, tùm deniquè à decretis suorum Superiorum contra Constitutionum Apostolicarum, ac dicti Ordinis, & præinserti decreti tenorem, & dispositionem, ad SæculariaTribunalia ausu temerario recurrere non prætermittunt, unde Regularis disciplinæ detrimentum, immediatorum Superiorum, eorumque jurisdictionis contemptus,ac non raro impunitas delinquentium, aliaque multiplicia incommoda oriuntur, nec non Almæ Urbis Tribunalia non levibus afficiuntur molestiis, & Sæculares non sine admiratione, & stupore Religiosos, qui strictam paupertatem, & rigorosam tàm suis Superioribus, quàm Sedi præfatæ Obedientiam in sua professione præstiterunt, litigantes, & inobedientes observant; atque propterea sibi omni ratione adnitendum proposuerit, ut quælibet via præcludatur ambitioni,& debita respectivè Subditorum erga Prælatos, & Sedem præfatam obedientia,exactaqueRegularisObservantia in dicto Ordine conserventur,& sicubi exciderint, restituantur, opportunum gliscentibus malis, & abusibus ejusmodi remedium adhiberi, & aliàs in præmissis salubriter à Nobis, ut infra, provideri summopere desideret, prout aliàs à Nobis pro Ordine Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum, & à Recol. itidem Memor. Benedi-

cto

cto PP. XIII. pro Ordine Fratrum Prædicatorum confirmasse, & renovasse supradictum decretum, & alias Romanorum Pontificum suorum, & nostrorum Prædecessorum literas, appellationem, accusationem, & recursum, præscripto ordine minimè servato, prohibentes, ac pro Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Augustini præcepisse, ut recursus, & appellationes gradatim fierent à Superiore Locali ad Provincialem, deinde ad Generalem, & tandem ad Sacram Congregationem, necnon à Clemente PP. XII. Prædecessoribus quoque nostris pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum extendisse, ac præcepisse Cardinalium Congregationibus, nè Causas, & Lites dicti Ordinis reciperent, nisi gradatim à Superioribus definitæ fuissent, ac dictam prohibitionem extendisse etiam pro memorato Ordine ejusdem Sancti Augustini, ac pro Ordine ejusdem Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, necnon pro Congregationibus Monachorum Silvestrinorum, & Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum, & Ordine memorati Sancti Francisci Conventualium concessum, extensum, & provisum fuisse memoratur. Nos, qui aliundè ex diutina rerum experientia probè novimus, quot, & quanta Regularibus Ordinibus ex prædictarum, & similium Ordinationum inobservantia, & infractione eveniant incommoda, ipsius Raphaelis Ministri Generalis piis postulatis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Pii, Gregorii, Pauli, & Urbani Prædecessorum nostrorum literas, ac præinsertum ejusdem Congregationis Regularium decretum cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, & quatenus opus sit, omnibus, & singulis dicti Ordinis tàm de Observantia, quàm Reformatis, Recollectis, & Discalceatis, aut quocumque alio nomine respectivè nuncupatis professoribus nunc, & pro tempore sub obedientia, regimine, & administratione dicti Ministri Generalis existentibus, ne futuris temporibus sub quovis prætextu, causa, ratione, & occasione ad Sæculares, vel alias Personas extra dictum proprium Ordinem pro obtinenda aliqua intra præfatum Ordinem gratia, vel vitanda pœna, nec non Generalibus, vel Provincialibus, cœterisque Ordinis hujusmodi Superioribus cujusvis status, gradus, & qualitatis nunc, & pro tempore itidem existentibus, ne ipsi ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum tàm Laicarum, quàm Ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque Sæculari dignitate, & præeminentia Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium cuicumque ipsius Ordinis professori ullam gratiam, ullumque gradum, aut dignitates, vel officia, & administrationes concedere, vel pœnam aliquam remittere, & condonare audeant quovis modo respectivè, seù præsumant, sub excommunicationis pœna eo ipso absque alia declaratione incurren., auctoritate, & tenore præsentis interdicimus, & prohibemus, ac præcipimus quoque, & mandamus. Præterea in casibus, in quibus Fratribus dicti Ordinis de jure, vel juxta illius Constitutiones appellare, aut recursus habere licet, id non aliter deinceps fieri posse, auctoritate, & tenore præsentis statuimus, & ordinamus, ut gradatim, à gravamine scilicet Guardiani ad Provincialem, à Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ [si de negotio, & Causa agatur Familiam dicti Commissarii concernente, aliàs immediatè ad Generalem] & ab isto ad Ministrum Generalem, ita ut Causæ appellationis hujusmodi antequàm ab eodem Ministro Generali cognitæ, & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri, & agitari nequeant; Quam quidem legem non solùm in appellationibus, sed in quibuscumque recursibus, & querelis, aut Causis inter dictos Ordinis hujusmodi professores quoquo modo agitandis inviolabiliter observari, sub pœnis per memoratas ejusdem Ordinis Constitutiones præscri-

ſcriptis, & in illis contentis ipſo facto abſque alia pariter declaratione incurrendis. Demùm omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, & quibuſvis Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. præfatæ Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apoſtolicæ Nunciis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recurſus, aut appellationes ſuper cujuſcumque Cauſæ cognitione admittant, Cauſaſque ipſas cognoſcant, niſi priùs eis legitimè conſtiterit, illas juxta præinſertum decretum per dictos Superiores præſcripto ordine ſervato cognitas, & definitas fuiſſe, ſub pœna nullitatis actorum inde ſecutorum, auctoritate, & tenore præſentis itidem harum ſerie interdicimus. Ac omnibus, & ſingulis Ordinis præfati profeſſoribus ſub pœnis in ſupradictis Gregorii Prædeceſſoris literis contentis, & contra inobedientes inflictis eo ipſo irremiſſibiliter incurrendis, ne ipſi ad Sæcularia Tribunalia adverſus ea, quæ à dicti Ordinis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint, ſub quovis prætextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant quoque, ſeù præſumant, ſeù per interpoſitas perſonas præmiſſa peragere curent, & faciant dicta auctoritate prohibemus. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeù exemplis etiam impreſſis, manu Procuratoris Generalis, ſeù Secretarii Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, & Sigillo Ordinis præfati munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die ij. Auguſti 1748. Pontificatus noſtri Anno Octavo.

D. Cardinalis Paſsioneus.

Concordat cum Originali. In quorum fidem &c. Romæ ex Araceli die 7. Augusti 1748.

Fr. Petrus Ig. de Gamza
Diff.r Gen. et Sec. Ordinis

ROMÆ, MDCCXLVIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.